

QUAE SIT LONGA CONSuetudo.

8.53.1

Imp. Alexander A. Apro evocato.

Praeses provinciae probatis his, quae in oppido frequenter
in eodem genere controversiarum servata sunt, causa cognita statuet.
Nam et consuetudo praecedens et ratio quae consuetudinem suasit
custodienda est. Et ne quid contra longam consuetudinem fiat,
ad sollicitudinem suam revocabit praeses provinciae.

PP. VI k. April, Iuliano et Crispino cons.

[a. 224]

8.53.2

Imp. Constantinus A. ad Proculum.

Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque
adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.

D. VIII k. Mai. Constantino A. V et Licinio C. cons.

[a. 319]

8.53.3

Impp. Leo et Anthemius AA. Alexandro.

Leges quoque ipsas antiquitus probata et servata tenaciter consuetudo imitatur
et retinet: et quod officiis curiis civitatibus principiis vel collegiis praestitum
fuisse cognoscitur, perpetuae legis vicem obtinere statuimus.

D. VII id. Sept. Zenone cons.

[a. 469]